

Cum hic vivis in hac peregrinatione, illi antecedant, suscipiant te. Propter refectionem carnalem, filius antecessit Jacob in Ægyptum, et ait patri suo et fratribus suis : « Ego præveni præparare vobis escas <sup>1</sup>. » Præcedant ergo filii tui, præcedant te opera tua : quales filios præmiseris, tales et sequeris.

### ENARRATIO

#### IN PSALMUM CII.

##### Sermo <sup>2</sup>.

In omni munere Domini Dei nostri, in omni ejus consolatione, in omni correptione, in gratia quam donare dignatus est, in indulgentia qua nobis non hoc reddidit quod debebat, in omnibus operibus ejus, benedicat anima nostra Dominum. Hoc enim cantavimus : inde incipit Psalmus, de quo loquemur, donante ipso, quod possumus, quem nostra anima benedicit. Unusquisque nostrum excitet et exhortetur animam suam, et dicat ei : « Benedic, » anima mea, Dominum <sup>3</sup>. » Et omnes nos, et qui ubique sunt fratres in Christo, unus homo, cujus caput in cælo est, exhortetur ipse unus homo animam suam, et dicat ei : « Benedic, anima mea, Dominum. » Obaudit, obtemperat, facit hoc, persuadetur ei, non ex donis nostris, sed ex illius quem benedicit anima nostra. Suscepit enim Psalmus iste ostendere nobis quare benedicat anima nos-

<sup>1</sup> Gen. XLV, 7. — <sup>2</sup> Iste Sermo in Martyrum festivitate habitus est. —  
<sup>3</sup> Psal. CII, 1.

tra Dominum, quasi ei respondisset anima sua : Quare mihi dicis : Benedic Dominum. Audiamus ergo, audiat ipsa anima nostra, consideret omnia quibus excitetur, ne pigra sit in benedictione Domini, et videat an justum sit quod ei dicitur : « Benedic, anima mea, Dominum : » videat si debet aliud benedicere præter Dominum. « Bene- » dic, inquit, anima mea, Dominum. »

II. Repetit hoc, et expressius dicit quod dixerat : « Benedic, anima mea, Dominum. Et omnia interiora mea » nomen sanctum ejus <sup>1</sup>. » Puto quia non ad interiora corporis loquitur : puto eum non hoc dicere, ut pulmo noster et jecur, et si qua sunt intestina carnis, erumpant in vocem benedictionis Domini. Est quidem pulmo pectoris nostri quasi follis quidam anhelans spiritum reciprocum, qui spiritus concepti aëris in vocem et sonum exprimitur, cum verba digerimus : nec potest aliquid vocis sonare ab ore nostro, nisi quod pulmo expressus emiserit. Sed non hinc agitur, hoc totum ad aures hominum. Habet aures Deus, habet et sonum cor. Interiora sua alloquitur homo, ut benedicant Dominum, et dicit eis : Omnia interiora mea nomen sanctum ejus benedicite. Quæris quæ sunt interiora tua ? Ipsa anima tua. Quod ergo ait : « Benedic, anima mea, Dominum ; » hoc ait : « Omnia » interiora mea, nomen sanctum ejus : » subauditur enim, Benedicite. Clama voce, si est homo qui audiat : sile voce, quando non est qui audiat : interiora tua nunquam deest qui audiat. Itaque sonabat jamdudum benedictio de ore nostro, et hæc ipsa verba cantabamus : « Benedic, anima » mea, Dominum ; et omnia interiora mea, nomen sanctum ejus. » Quantum satis fuit tempori cantavimus, et siluimus : numquid interiora nostra silere debent a benedictione Domini ? Alternet pro tempore sonus vocum,

<sup>1</sup> Psal. CII, 1.



perpetua sit vox interiorum. Cum convenis ad Ecclesiam hymnum dicere, sonat vox tua laudes Dei; dixisti quantum potuisti, discessisti: sonet anima tua laudes Dei. Negotium agis: laudet Deum anima tua. Cibum capis: vide quid ait Apostolus: « Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite<sup>1</sup>. » Audeo dicere, cum dormis, benedicat anima tua Dominum. Non te excitet cogitatio flagitii, non te excitet dispositio furti, non te excitet conducta forte corruptio. Innocentia tua etiam in dormiente vox est animæ tuæ. « Benedic, anima mea, Dominum, et omnia interiora mea, nomen sanctum ejus. »

III. « Benedic, anima mea, Dominum, et noli oblivisci omnes retributiones ejus<sup>2</sup>. Benedic, inquit, anima mea, Dominum. » Quid est anima tua? Omnia interiora tua. « Benedic, anima mea, Dominum. » Repetitio ad exhortationem valet. Ut autem benedicas semper Dominum, « Noli oblivisci omnes retributiones ejus. » Si oblivisceris, tacebis. Non autem poterunt ante oculos tuos esse retributiones Domini, nisi ante oculos tuos fuerint peccata tua. Non sit ante oculos tuos delectatio præteriti peccati, sed sit ante oculos tuos damnatio peccati: damnatio a te, remissio a Deo. Hæc enim retribuit Dominus, ut possis dicere: « Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi<sup>3</sup>? » Hoc enim considerantes Martyres, quorum etiam memoriam hodie celebramus, et omnes omnino sancti qui vitam istam contempserunt, et sicut audistis in Epistola Joannis, animas suas pro fratribus posuerunt<sup>4</sup>, quæ est perfectio charitatis, dicente Domino: « Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis<sup>5</sup>. » Hoc ergo considerantes sancti Martyres, contempserunt animas suas hic, ut ibi eas inveni-

<sup>1</sup> 1 Cor. x, 31. — <sup>2</sup> Psal. cii, 2. — <sup>3</sup> Id. cxv, 12. — <sup>4</sup> 1 Joan. iii, 16. — <sup>5</sup> Joan. xv, 13.

rent, sequentes verba Domini dicentis: « Qui amat animam suam, perdet eam, et qui perdidit eam propter me, in vitam æternam inveniet eam<sup>1</sup>. » Voluerunt enim retribuere: qui? et quid? et cui? Homines ministerium suum usque ad mortem Deo retribuerunt. Quid, quod ille non donaverit? Quid dederunt, quod non acceperint? Retribuit ergo ille vere, qui solus donat: sed non retribuit peccatis nostris; nam retributiones nobis aliæ debebantur, et aliæ redditæ sunt. « Noli, inquit, oblivisci omnes retributiones ejus: » non tributiones, sed, « Retributiones. » Aliud enim debebatur, et redditum est quod non debebatur. Unde et ille: « Quid retribuam Domino, pro omnibus, inquit, quæ retribuit mihi<sup>2</sup>? » Non ait, Quæ tribuit mihi; sed, « Quæ retribuit mihi. » Retribuisti tu mala pro bonis; retribuit ipse bona pro malis. Quomodo retribuisti tu, o homo, Deo mala pro bonis? Qui prius fuisti blasphemus, et persecutor, et injuriosus<sup>3</sup>, retribuisti blasphemias. Pro quibus bonis? Primo, quia es: sed est et lapis. Deinde, quia vivis: sed vivit et pecus. Quid retribues Domino, pro eo quod super omnia pecora et super omnia volatilia fecit te ad imaginem et similitudinem suam<sup>4</sup>? Noli quærere quid ei retribuas: similitudinem ipsius retribue illi, non plus quærat; nummum suam exigit<sup>5</sup>. Tu autem pro gratiis agendis, pro humilitate, pro obsequio, pro cultu religioso, id est, pro his omnibus bonis, quæ debebas Deo tuo, pro bonis quæ accepisti, quæ dixi, retribuisti blasphemias. Quid ergo ille? Confitere, ignosco. Retribuo et ego, sed non quod tu retribuisti: tu retribuisti mala pro bonis, ego retribuo bona pro malis.

IV. Cogita ergo, anima, omnes retributiones Dei, cogi-

<sup>1</sup> Joan. xii, 25. — <sup>2</sup> Psal. cxv, 12. — <sup>3</sup> 1 Tim. i, 13. — <sup>4</sup> Gen. i, 26. — <sup>5</sup> Matth. xxii, 21.



tando omnia mala facta tua. Quam multa enim mala facta tua, tam multæ bonæ retributiones ejus. Et quid illi offeres forte xeniorum? quid munerum? quid sacrificiorum? Quoniam non oblivisceris retributiones ejus, hoc sacrificio delectatur: «Benedic, anima, Dominum. Sacrificium laudis glorificabit me. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua<sup>1</sup>.» Laudari se vult Deus: et hoc, ut tu proficias; non ut ille sublimetur. Non est omnino quod illi retribuere: et quod exigit, non sibi, sed tibi exigit: tibi proderit, tibi servatur. Non hoc a te amat, quod illum augeat, quod te ad illum perducatur. Propterea quærebant Martyres, deficiebant quodam modo non inveniendū, et dicebant, «Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?» Et non invenerunt quid retribuere, nisi, «Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo<sup>2</sup>.» Quid retribuēs Domino? Cogitabas enim, et non inveniebas: «Calicem salutaris accipiam.» Quid? calicem salutaris nonne ipse Dominus dedit? De tuo aliquid retribue, si potes. Non, dixerim; ne feceris, noli de tuo retribuere: non vult Deus de tuo sibi retribui. Si de tuo retribuis, peccatum retribuis. Omnia enim quæ habes, ab illo habes: tuum peccatum solum habes. Non vult sibi retribui de tuo, de suo vult. Quomodo agricolæ, de terra quam seminavit, si segetem attuleris, de agricolæ fructu retribuisti: si spinas, de tuo obtulisti. Veritatem retribue, in veritate Dominum lauda: si de tuo volueris, mentieris. «Qui loquitur mendacium, de suo loquitur<sup>3</sup>.» Si quis loquitur mendacium, de suo loquitur; qui loquitur veritatem, de Dei loquitur. Quid est autem accipere calicem salutaris, nisi passiones Domini imitari? Hoc Martyres fecerunt. Hoc superbientibus dixit, et sedes sublimes jam quærentibus, et convallem plora-

<sup>1</sup> Psal. XLIX, 14 et 33. — <sup>2</sup> Id. cxv, 12, 13. — <sup>3</sup> Joan. viii, 44.

tionis devitantibus, qui volebant sedere, unus ad dexteram, alius ad sinistram. Quid ergo ait? «Potestis bibere» calicem, quem ego bibiturus sum<sup>1</sup>? Jam ergo Martyr paratus ad victimam sanctam dicit, «Calicem salutaris accipiam.» Accipiam calicem Christi, bibam passionem Domini. Cave ne deficias. Sed, «Nomen Domini invocabo.» Qui ergo defecerunt, Dominum non invocaverunt, de sua fortitudine præsumperunt. Tu sic redde, ut te accepisse quod reddis memineris. Sic ergo benedicat anima tua Dominum, ut non obliviscatur omnes retributiones ejus.

V. Audite omnes retributiones ejus. «Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos. Qui redimit de corruptione vitam tuam, qui coronat te in miseratione et misericordia. Qui satiat in bonis desiderium tuum: renovabitur sicut aquilæ juvenis tua<sup>2</sup>.» Ecce retributiones. Quid debebatur peccatori, nisi supplicium? quid debebatur blasphemo, nisi gehenna ignis ardentis? Non ipsa retribuit: ne expavescas, ne exhorrescas, ne sine amore timeas. Noli oblivisci omnes retributiones ejus bonas; et mutare jam, ne experiaris retributiones ejus, quid dicam? malas? Si justas, non malas. Ad te ergo malas: ad Deum autem nec hæc quæ pateris mala, mala sunt; si enim justa sunt, bona sunt: sed tibi patienti hæc mala sunt. Non vis ut mala sint tibi, quæ justa sunt Dei? Non sit mala in conspectu Dei iniquitas tua. Non enim cessavit vocare, aut vocatum neglexit instruere, aut instructum cessavit perficere, aut perfectum neglexit coronare. Quid dicis? Quia es peccator? Convertere, et accipe retributiones istas; «Propitius fit omnibus iniquitatibus tuis.» Post remissionem peccatorum corpus infirmum geris, necesse est sint quædam desideria carnalia quæ te titillent, et quæ tibi suggerant

<sup>1</sup> Matth. xx, 22. — <sup>2</sup> Psal. cxii, 3-5.



delectationes illicitas, de languore tuo veniunt. Adhuc enim infirmam carnem geris, nondum est absorpta mors in victoriam, nondum corruptibile hoc induit incorruptionem<sup>1</sup>: adhuc quibusdam perturbationibus etiam ipsa anima quatitur post remissionem peccatorum; adhuc in periculis tentationum versatur, quibusdam suggestionibus delectatur, quibusdam non delectatur, et in eis quibus delectatur, aliquando quibusdam consentit, capitur. Languor est, « Sanat et omnes languores tuos. » Sanabuntur omnes languores tui, noli timere. Magni sunt, inquires: sed major est medicus. Omnipotenti medico nullus languor insanibilis occurrit: tantum tu curari te sine, manus ejus ne repellas; novit quid agat. Non tantum delecteris cum fovet, sed etiam tolere cum secat: tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatem. Videte, fratres mei, in istis languoribus corporis quanta homines tolerant, ut paucos dies victuri moriantur, et hos paucos dies incertos. Multi enim post tolerantiam magnorum dolorum, cum a medicis secarentur, aut inter manus medicorum mortui sunt, aut jam sani, irruente aliqua ægritudine, defuncti sunt. Si tam sibi propinquam mortem sperarent, illos immensos dolores susciperent tolerandos? Tu non toleras ad incertum: qui promisit sanitatem, non potest falli. Fallitur medicus aliquando, et promittit sanitatem de corpore humano. Quare fallitur? Quia non hoc curat, quod fecit. Deus fecit corpus tuum, Deus fecit animam tuam: novit quemadmodum recreet quod creavit, novit quemadmodum reformet quod ipse formavit: tu tantum sub manibus medici esto; odit enim repellentem manus suas. Non fit hoc in medici hominis manibus. Ligari se volunt homines, et secari; daturi pro incerta sanitate certum dolorem, magnam mercedem. Deus te, quem fecit, et

<sup>1</sup> 1 Cor. xv, 53.

certus curat, et gratis. Ferto ergo manus ejus, o anima, quæ benedicis eum, non obliviscens retributiones ejus: « Sanat enim omnes languores tuos. »

VI. « Qui redimit de corruptione vitam tuam. » Inde sanat omnes languores tuos, quia redimit de corruptione vitam tuam. « Ecce corpus quod corrumpitur, aggravat » animam<sup>1</sup>. » Vitam ergo habet anima mea in corpore corruptibili. Qualem vitam? Onera patitur, pondera sustinet. Ad ipsum Deum cogitandum, sicut dignum est ab homine cogitari Deum, quanta impediunt, veluti interpellantia de necessitate corruptionis humanæ? Quanta revocant? quanta a sublimi intentione detorquent? quanta interpellant? quæ turba phantasmatum? qui populi suggestionum? Totum hoc in corde humano, tanquam de vermibus corruptionis hujus scatet. Exaggeravimus morbum, laudemus et medicum. Non ergo te sanabit, qui fecit talem qualis non ægrotares, si legem sanitatis acceptam servare voluisses? Nonne tibi et disposuit et mandavit quid tangeres, quid non tangeres, ad retinendam salutem<sup>2</sup>? Noluit audire ad retinendam, audi ad recipiendam. Languore tuo expertus es, quam vera ille jussisset. Jam tandem aliquando homo quod non tenuit monitus, audiat vel expertus. Quæ duritia est, quam nec experientia docet? Non ergo te sanabit, qui talem fecerat ut nunquam ægrotares, si ejus præcepta servare voluisses? Non te sanabit, qui fecit Angelos, et te reffectum æquaturus est Angelis? Non sanabit factum ad imaginem suam, qui fecit cælum et terram? Sanabit te, opus est ut sanari velis. Sanat omnino ille quemlibet languidum, sed non sanat invitum. Quid autem te beatius, quam ut tanquam in manu tua, sic habeas in voluntate sanitatem tuam? Si velles esse in aliquo sublimi honore in hac terra; ducatum, proconsu-

<sup>1</sup> Sap. ix, 15. — <sup>2</sup> Gen. ii, 16, 17.



latum, præfecturam si concupisceres, numquid continuo posses ut velles? numquid voluntatem tuam potestas sequeretur? Multi ad ista volunt pervenire, et non possunt: sed si pervenirent, quid prodest honor ægrotis? Quis enim non ægrotat in hac vita? quis non languorem longum trahit? Nasci hic in corpore mortali, incipere ægrotare est. Quotidianis medicamentis fulciuntur indigentiae nostrae, quotidiana medicamenta sunt refectioes omnium indigentiarum. Fames nonne te occideret, nisi medicamentum ejus apponeres? Sitis nonne te perimeret, nisi eam tu bibendo, non penitus extingueres, sed differres? Reditura est enim sitis paululum temperata. Temperamus ergo istis fomentis ærumnam ægritudinis nostrae. Stando lassatus eras, sedendo reficeris; ipsum sedere medicina est lassitudinis: in ipsa medicina rursus lassaris; diu sedere non poteris. Quidquid est ubi fatigationi succurritur, alia fatigatio inchoatur. Quid ergo ista desideras languidus? Prius de salute tua cogita. Aliquando ægrotat homo in domo sua; in lecto suo, ægritudine manifestiore: quanquam et ista manifesta sit, quam nolunt homines intueri: tamen ea ægritudine, ad quam quærantur medici homines, ægrotat quisque in domo sua, anhelat febribus in lecto suo; velit forte cogitare de re familiari, aliquid jubere vel in domo, vel in fundo, aut disponere; statim cura suorum circumstrepente et murmurante, revocatur a talibus curis, et dicitur illi, Dimitte ista, prius de salute tua cogita. Ergo hoc tibi dicitur, Omnis homo, si non ægrotas, alia cogita: si te ægrotantem languor ipse convincit, prius de salute tua cogita. Salus tua Christus est: Christum ergo cogita. Accipe calicem salutaris ejus, « Qui sanat omnes languores » tuos: » hanc salutem si volueris, obtinebis. Honores et divitias cum requisieris, non continuo si volueris, habebis: hoc et pretiosius est, et sequitur voluntatem.

« Qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam tuam. » Ibi sanabitur omnis languor tuus, cum corruptibile hoc induet incorruptionem. Redempta est enim vita tua de corruptione; jam securus esto: initus est bonæ fidei contractus; nemo fallit redemptorem tuum, nemo circumvenit; nemo premit. Egit hic commercium, jam pretium solvit, sanguinem fudit. Sanguinem, inquam, fudit unicus Filius Dei pro nobis: o anima, erige te, tanti vales. « Redimit de corruptione vitam tuam. » Ostendit exemplo, quod promisit in præmio. Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram<sup>1</sup>. Sperent membra, quod in capite demonstratum est. Non curabit membra sua, quorum caput levavit in cœlum? Ergo « Redimit de corruptione vitam tuam. »

VII. « Qui coronat te in miseratione et misericordia. » Jam enim forte quasi arrogans esse cœperas, cum audires: « Coronat te. » Ergo magnus sum, ergo luctatus sum. Cujus viribus? Tuis, sed ab illo subministratis. Nam luctaris, manifestum est; et ideo coronaberis, quia vinces: sed vide quis prior vicerit, vide quis te faciat etiam secundo victorem. « Ego, inquit, vici sæculum, gaudete<sup>2</sup>. » Et unde gaudemus, si ille vicit sæculum? quasi nos vicimus? Ita plane gaudeamus, quia nos vicimus. Qui in nobis victi sumus, in illo vicimus. Ergo coronat te, quia dona sua coronat, non merita tua. « Plus omnibus illis » laboravi, » ait Apostolus: sed vide quid adjungit, « Non ego autem, sed gratia Dei mecum<sup>3</sup>. » Et post labores omnes expectat ipsam coronam, et dicit: « Bonum » agonem certavi, cursum consummavi, fidem servavi: » de cætero superest mihi corona justitiæ, quam mihi » reddet Dominus in illa die justus judex<sup>4</sup>. » Quare? Quia

<sup>1</sup> Rom. iv, 25. — <sup>2</sup> Joan. xvi, 33. — <sup>3</sup> 1 Cor. xv, 10. — <sup>4</sup> 2 Tim. iv, 7, 8.



agonem certavi. Quare? Quia cursum consummavi. Quare? Quia fidem servavi. Unde certasti? unde fidem servasti? « Non ego autem, sed gratia Dei mecum<sup>1</sup>. » Ergo et quod coronaris, illius misericordia coronaris. Nusquam sis superbus; semper lauda Dominum, omnes retributiones ejus noli oblivisci. Retributio est, cum peccator et impius vocatus es, ut justificareris. Retributio est, cum erectus et gubernatus es ne caderes. Retributio est, cum tibi vires subministratæ sunt, ut usque in finem perseverares. Retributio est, ut etiam caro ista tua qua premebaris, resurgat, et nec capitis tui capillus intereat. Retributio est, ut post resurrectionem coroneris. Retributio est, ut in æternum Deum ipsum sine defectu laudes. Omnes retributiones ejus noli oblivisci, si vis ut benedicat anima tua Dominum, « Qui » coronat te in miseratione et misericordia. »

VIII. Et quid agam coronatus? Ecce adjuvabar cum luctarer, finito certamine coronabor; jam nulla residua erit inimica suggestio vel corruptio, cum qua lucter. Semper enim in hac vita luctamur cum corruptione ista: sed quid scriptum est? « Novissima inimica destruetur » mors. » Post destructionem mortis, nullum timebis inimicum: « Inde absorpta est mors in victoriam<sup>2</sup>. » Tunc ergo erit victoria, tunc corona. Post certamen ergo coronabor, post coronam quid agam? « Qui satiat in nobis desiderium tuum<sup>3</sup>. » Modo enim audis bonum, et anhelas; audis bonum, et suspiras: et hoc ipsum quod forte peccas, eligendi boni aviditate falleris; et in eo reus detineris, quod bonum consilium Dei non audis, quid contemnendum et quid eligendum sit; quod forte negligis discere, si in eligendo bono fallebaris. Ubi cumque peccas quasi bonum quæris, quasi refectionem desideras. Bona sunt ista quæ quæris; sed mala tibi erunt, deserto

<sup>1</sup> I Cor. xv, 10. — <sup>2</sup> Ibid. 26 et 54. — <sup>3</sup> Psal. cxv, 5.

illo a quo bona facta sunt. Bonum tuum quære, o anima. Est enim bonum aliud alteri, et omnes creaturæ habent quoddam bonum suum, integritatis suæ, et perfectionis naturæ suæ: interest quid cuique rei imperfectæ necessarium sit, ut perficiatur: quære tuum bonum. « Nemo » bonus nisi unus Deus<sup>1</sup>. » Summum bonum, hoc est tuum bonum. Quid ergo deest, cui summum bonum bonum est? Sunt enim et inferiora bona, quæ aliis et aliis bona sunt. Pecori quid bonum est, fratres, nisi implere ventrem, carere indigentia, dormire, gestire, vivere, sanum esse, generare? Bonum illi est, et usque ad quemdam modum habet boni sui mensuram tributam, et concessam ab omnium rerum creatore Deo. Tale tu bonum quæris? Dat et hoc Deus; sed noli solum quærere. Cohæres Christi, quid gaudes, quia socius es pecori? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. Ipse erit bonum tuum, a quo tu in tuo genere factus es bonus, et omnia in suo genere facta sunt bona<sup>2</sup>. « Fecit enim Deus omnia bona » valde<sup>3</sup>. » Ergo illud bonum quod Deus est, si dicamus valde bonum, jam et de creatura dictum est, « Fecit » Deus omnia bona valde. » Quid ergo illud bonum, de quo dictum est, « Nemo bonus nisi unus Deus? » dicimus quia bonum est valde? Recurrit nobis recordatio de omnibus creaturis, quia dictum est, « Fecit Deus omnia valde bona. » Quid ergo dicturi sumus? Deficimus in voce, sed non in affectu. Veniat in mentem recens illa tractatio Psalmi: explicare non possumus, jubilemus. Bonum est Deus. Quale bonum, quis dicat? Ecce non possumus dicere, et non permittimur tacere. Ergo si non possumus dicere, et præ gaudio non permittimur tacere, nec loquamur, nec taceamus. Quid ergo faciamus, non loquentes et non tacentes? Jubilemus<sup>1</sup>. « Jubilate Deo salutari

<sup>1</sup> Matth. xix, 17. — <sup>2</sup> Gen. 1, 31. — <sup>3</sup> Psal. xciv, 1.



» nostro, jubilate Deo omnis terra<sup>1</sup>. » Quid est, « Jubi-  
 » late? » Efferte vocem ineffabilem gaudiorum vestro-  
 rum, et eructate in eum lætitiis vestras. Et quid erit illa  
 ructatio post saginam, si modo post modicas istas refec-  
 tiones tantum afficitur anima nostra? Quid erit, quando  
 fiet post redemptionem ab omni corruptione, quod dictum  
 est in isto Psalmo, « Qui satiat in bonis desiderium  
 » tuum? »

IX. Et quasi quæres, Quando satiat? Modo enim non  
 satior: ad quodcumque me convertero, vilescit mihi adeptum,  
 quamvis accenderit desideratum: cum omnia quæ  
 dum non habeo amo, cum habuero contemno, quod  
 bonum me satiabit? Laus Dei. Et ipsa, cum « Corpus quod  
 » corrumpitur aggravat animam<sup>2</sup>, » et deprimit terrena  
 inhabitatio sensum multa cogitantem, non impletur anima  
 mea, non perficitur: aliæ de corruptione delectationes  
 indigentiarum detorquent me ab illa. Quando satiabitur  
 desiderium meum in bonis? Quando, quæris? « Renova-  
 » bitur sicut aquilæ juvenus tua. » Quæris ergo quando  
 satiatur in bonis anima tua? Quando renovata fuerit ju-  
 ventus tua. Et addidit, « Sicut aquilæ. » Profecto hic  
 aliquid latet: quod tamen dici de aquila solet, non ta-  
 cemus, quia non est ab re hoc intelligere. Illud tantum-  
 modo insinuatum sit cordibus nostris, non sine causa  
 dictum esse a Spiritu sancto, « Renovabitur sicut aquilæ  
 » juvenus tua. » Resurrectionem enim quamdam signifi-  
 cavit nobis. Et quidem renovatur et juvenus aquilæ, sed  
 non ad immortalitatem. Data est enim similitudo, quan-  
 tum de re mortali potuit trahit ad rem utcumque signifi-  
 candam immortalem, non ad demonstrandam. Dicitur  
 aquila, cum senectute corporis pressa fuerit, immodera-

<sup>1</sup> Id. xcix, 1. Insuper vide Enarrat. in Psal. xcix, num 4, 5. — <sup>2</sup> Sap.  
 ix, 15.

tionem rostri crescentis cibum capere non posse. Pars enim  
 rostri ejus superior, quæ supra partem inferiorem adun-  
 catur, cum præ senecta immoderatus creverit, longi-  
 tudo ejus incrementi non eam sinit os aperire, ut sit ali-  
 quod intervallum inter inferiorem partem et uncum  
 superiorem. Nisi enim aliquod intervallum pateat, non  
 habet morsus quasi forcipem, unde velut tondeat quod  
 transmittat in fauces. Crescente itaque superiore parte,  
 et nimis aduncata, non poterit os aperire et aliquid capere.  
 Hoc ei facit vetustas. Prægravatur languore senectutis, et  
 inopia comedendi languescit nimis; utraque re, et ætatis et  
 egestatis accedente. Itaque modo quodam naturali in men-  
 sura reparandæ quasi juvenutis, aquila dicitur collidere  
 et percutere ad petram ipsum quasi labium suum superius,  
 quo nimis crescente edendi aditus clauditur: atque ita  
 conterendo illud ad petram excutit, et caret prioris rostri  
 onere, quo cibus impediabatur. Accedit ad cibum, et  
 omnia reparantur: erit post senectutem tanquam juvenis  
 aquila; redivit vigor omnium membrorum, nitor plumarum,  
 gubernacula pennarum, volat excelsa sicut antea, fit in  
 ea quædam resurrectio. Ad hoc enim exposita est ista si-  
 militudo: sicut de luna ponitur, quia deminuta et quo-  
 dam modo intercepta luna rursus nascitur et impletur, et  
 significat nobis resurrectionem: sed impleta illa non per-  
 manet; rursus minuitur, ut semper significet. Sic ergo et  
 hoc quod de aquila dictum est: non ad immortalitatem  
 aquila reparatur, nos autem ad vitam æternam: sed ta-  
 men propterea inde ducta est similitudo, ut quod nos  
 impedit, petra nobis auferat. Non ergo præsumas de vi-  
 ribus tuis: firmitas petræ tibi excutit vetustatem. « Petra  
 » autem erat Christus<sup>1</sup>. » In Christo renovabitur sicut  
 aquilæ juvenus nostra. Etenim inveteravimus inter ini-

<sup>1</sup> 1 Cor. x, 4.



micos nostros, sicut nota est vox Psalmi : « Inveteravi, » inquit, in omnibus inimicis meis<sup>1</sup>. » Unde inveteravimus? Carne mortali, carne ista foenea : et ideo, « Per- » cussus est sicut foenum, et aruit cor meum, quoniam » oblitus sum manducare panem meum<sup>2</sup>. Oblitus sum, » inquit, manducare panem meum. » Crevit vetustas, os clausit, atteratur in petra.

X. Sic ergo et in hoc Psalmo unde agimus, cum prae- misisset, « Qui satiat in bonis desiderium tuum : » quasi responderet anima, Non satiabor de mortalibus, non satiabor de temporalibus, aliquid aeternum donet, aliquid aeternum concedat : Sapientiam suam mihi det, Verbum suum mihi det, Deum apud Deum, et se Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Mendicus aute januam ejus sto, non dormit quem invoco, det mihi tres panes. Evangelium recordamini : ecce quid sit nosse Dei Litteras ; qui legerunt moti sunt. Nam recordamini quemdam inopem venisse ad domum amici sui, et petisse tres panes. Et ille, inquit, dormiens respondebat ei, et dicebat : « Jam » requiesco, et pueri mei intus mecum dormiunt. » Ille perseverans in petendo, extorsit tædio quod non posset merito<sup>3</sup>. Deus autem dare vult : sed non dat nisi petenti, ne det non capienti. Non tædio tuo vult excitari. Non enim cum oras tanquam dormienti molestus es : « Non dor- » miet, neque dormitabit, qui custodit Israël<sup>4</sup>. » Semel Christus dormivit, ut illi de latere conjux fieret<sup>5</sup> : dormivit in cruce, manifestum est. Mortuus est enim, ut diceret, « Ego dormivi, et somnum cœpi. » Sed numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat<sup>6</sup>? Propterea ibi sequitur, « Et exurrexi, quoniam Dominus suscipiet me<sup>7</sup>. » Quid vero jam Apostolus? « Christus, inquit, surgens a mor-

<sup>1</sup> Psal. vi, 8. — <sup>2</sup> Id. ci, 5. — <sup>3</sup> Luc. xi, 5-8. — <sup>4</sup> Psal. cxx, 4. — <sup>5</sup> Gen. ii, 21. — <sup>6</sup> Psal. xl, 9. — <sup>7</sup> Id. iii, 6.

» tuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabi- » tur<sup>1</sup>. » Ipse ergo non dormit ; vide ne fides tua dor- miat. Dicat ergo anima jam desiderans satiari quodam excelso, inenarrabili bono, cui jubilatur potius, et de quo jubilatur, quam aliquid explicatur : jam enim vult, jam sentit inde aliquid : videt se impediri prægravatione corporis, non se posse in hac vita satiari, et quasi respondeat, et dicat : Quid mihi dicit : « Satiabitur in bonis desiderium » tuum? » Novi bonum ejus quod desiderem, novi quid mihi sufficiat, video hoc in Philippo : « Ostende, inquit, no- » bis Patrem, et sufficit nobis. » Solum Patrem quasi desiderabat : ostendit Dominus tres panes desiderandos ; qui est unus panis ostendit, et dixit : « Tanto tempore » vobiscum sum, et Patrem non nostis? Philippe, qui » me videt, videt et Patrem. » Promisit et Spiritum : » Quem mittet, inquit, Pater in nomine meo<sup>2</sup> : » item- que ait, « Quem ego mittam vobis a Patre<sup>3</sup> : » donum suum æquale sibi. Novi quid desiderem, sed quando inde satiabor? Ecce modo de Trinitate cogito, quomodocum- que de Trinitate, vix in ænigmate, per speculum, ex parte audeo aliquid sentire : quando satiabor? « Renovabitur » sicut aquilæ juvenus tua. » Non satiaris modo, quia non est idonea anima tua ad solidum illum et magnum cibum ; sed rostro clauso, non est idonea. Vetustas tibi os clausit, propterea petra data est, ubi vetustate contrita, renovetur juvenus tua sicut aquilæ ; ut possis manducare panem tuum, illum qui ait : « Ergo sum panis vivus, qui » de cœlo descendi<sup>4</sup>. Renovabitur juvenus tua sicut » aquilæ : » tunc satiaberis in bonis.

XI. « Faciens misericordias Dominus, et judicium eis » qui injuriam accipiunt<sup>5</sup>. » Facit modo, fratres, ante-

<sup>1</sup> Rom. vi, 9. — <sup>2</sup> Joan. xiv, 8, 9 et 26. — <sup>3</sup> Id. xv, 26. — <sup>4</sup> Id. vi, 41. — <sup>5</sup> Psal. cii, 6.



quam veniamus ad renovationem sicut aquilæ, antequam satiemur in bonis. Quid enim hic, quid in ista peregrinatione, quid in ista vita? numquid deserimur? Non. « Faciens misericordias Dominus. » Et videte quomodo faciat misericordias, non nos relinquens in deserto, non nos relinquens in eremo, donec perveniamus ad patriam; » Faciens misericordias, » sed quibus? « Beati misericordes, » quoniam ipsi misericordiam consequentur<sup>1</sup>. » Modo audistis, fratres, cum Evangelium legeretur. Non ergo putet aliquis futuram in se esse misericordiam Dei, si est ipse immisericors. Sed audi quæ sit mensura misericordiæ, ne quasi in amicum sit, et non sit in inimicum. Dictum est, « Diligite inimicos vestros<sup>2</sup>. » Satiari vis bonis Dei, satiata sit in te misericordia. Plena misericordia, ipsa est perfecta misericordia: ipsa est quæ amat, quæ diligit etiam habentem se odio. Nam quid faciam, inquis? Si cœpero diligere inimicum meum, injurias accipiam, et injurias perferam, et non me vindicabo, cum adsint leges? Justum est ut vindices te; conceditur, quia justum est: vide utrum non habeas quod in te vindicetur, et vindica. Sic enim dicis: Ita-ne me non vindicabo? quasi Deus justitiam vindictæ reprimat, et non superbiam vindicantis extinguat. Aut vero adultera illa non erat lapidanda? aut si lapidaretur, iniquum aliquid fieret? Si inique fieret, inique jussum est: Lex autem jussit, Deus jussit: sed, o vos ultores, videte si non estis peccatores. Adducta est adultera mulier lapidanda ex Lege, sed adducta est ad latorum Legis. Sævis qui adduxisti: vide qui sævias, et in quam sævias: si peccator in peccatricem, desine sævire, prius confitere: si peccator sævis in peccatricem, relinque illam; novit ille quid de illa sentiat, quid judicet, quomodo parcat, quomodo sanet. Ex Lege sævis? Melius no-

<sup>1</sup> Matth. v, 7. — <sup>2</sup> Ibid. 44.

quid agat lator Legis, ex qua sævis. Jam Dominus eo tempore quo illi oblata est, inclinato capite scribebat in terra. Tunc scripsit in terra, quando se inclinavit in terram: antequam se inclinaret in terram, non in terra scripsit, sed in lapide. Jam fructuosum aliquid erat terra de Domini Litteris paritura. In lapide Legem scripserat, significans duritiam Judæorum<sup>1</sup>: in terra scripsit, significans fructum Christianorum. Venerunt ergo illi adductes adulteram, tanquam sævientes fluctus in petram: sed ejus responsione confracti sunt. Ait enim illis: « Qui » in vobis sine peccato est, prior in illam lapidem jactet<sup>2</sup>. » Et rursus inclinato capite, scribebat in terra. Et unusquisque jam interrogans conscientiam suam, non comparuerunt. Repulit eos, non infirma mulier adultera, sed adulterata conscientia. Vindicare volebant, judicare cupiebant: venerunt ad petram, absorpti sunt juxta petram judices eorum<sup>3</sup>.

XII. « Faciens misericordias Dominus: » sed quibus? « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur<sup>4</sup>. » In omnes fac misericordiam. Quam misericordiam. facturus es justo? In necessitatibus tantum corporalibus: quibus si defuerint supplementa a te, non deerunt a Deo. Quod ergo facis, tibi plus prodest. Das mendico transeunti et petenti: quæris et justum cui des, per quem recipiaris in tabernacula æterna; quia, « Qui recipit justum in nomine justii, mercedem justii accipiet<sup>5</sup>. » Mendicus te quærit; justum tu quære. De alio enim dictum est, « Omni petenti te da<sup>6</sup>: » et de alio dictum est, « Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias » justum, cui eam tradas. » Et si diu non invenitur, diu quære, invenies. Sed quid præstabis? Nonne plus tibi

<sup>1</sup> Exod. xxiv, 12. — <sup>2</sup> Joan. viii, 3-9. — <sup>3</sup> Psal. cxl, 6. — <sup>4</sup> Matth. v, 7. — <sup>5</sup> Matth. x, 41. — <sup>6</sup> Luc. vi, 30.